



Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Sacramentis in Genere, & duobus primis in specie

Bosco, Jean a

Lovanii, 1665

Concl. XVI. Minister non potest adhibere materiam aut formam Sacramenti solùm probabilem, quando commodè potest adhibere certam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73340)

est tanta irreverentia Sacramenti Matrimonij si indigno ministraretur, cum ordinariè interveniat utilitas temporalis ipsius ministri, quæ non reperitur in administratione aliorum Sacramentorum, ubi sola spectatur utilitas suscipientis. Profectò si licitè peto Sacramentum ab indigno ministro, modò id suadeat notabilis utilitas; cur in Sacramento Matrimonij non liceat propter eandem causam indigno ministrare? Nam petere & ministrare quasi idem sunt: proinde non videtur contrahens magis debere sequi conditionem ministrantis, quàm petentis. De cætero attendamus, inspicimus, perscrutemur quod possumus, nè infideles (quod absit) ministri & dispensatores mysteriorum Dei inveniamur.

248.
An sit fidelis minister, qui vult conficere Sacramentum incertus de valore.

Et verò (interrogat quispiam) nūquid fidelis minister est, qui vult conficere Sacramentum incertus de valore? Constantè & unanimiter asserunt DD. haud licitum esse ministrare Sacramentum cum dubio negativò (quando scilicet non est fundamentum ad assensum præbendum alicui parti) nisi in necessitate sub conditione; quippe Sacramenti institutio ad minus videtur exigere probabile iudicium, nè continuò exponatur periculo nullitatis contra reverentiam ipsi debitam.

Confirmatur: quia præceptum naturale non fornicandi requirit iudicium, saltem probabile, quòd hæc persona sit sua; ergo similiter præceptum baptizandi cum aqua naturali, quòd hæc sit aqua naturalis.

249.

Interim tamen quemadmodum dubius de valore Matrimonij potest reddere debitum, quamdiu petens procedit bonâ fide, quia præponderat aliud inconveniens, scilicet periculum privandi alterum possessione suâ absque sufficienti probatione; vel (clariùs loquendo) quia negando debitum exponit se periculo injustitiæ, reddendo autem periculo solius fornicationis; ex duobus porro malis, ubi alterum est necessarium, minus est eligendum; ergo eligenda fornicatio, quæ minus est peccatum, quàm injustitia: ita dico in extrema necessitate sine irreverentia utimur materiâ aut formâ dubiâ, quando certior haberi nequit; quia prævalet præceptum charitatis, & abstergit omnem irreverentiam, quæ aliàs in tali ministerio committeretur. Enimverò cum Sacramenta instituta sint pro salute animarum, & aliqua saltem spes effulgeat eam procurandi animæ alioquin in æternum certò peritura; potius reverenter quàm irreverenter tractat Sacra-

mentum, qui ita illud administrat, maxime sub conditione; quippe illa non subsistente altera pars essentialis necessariò deficit, per consequens intentio Sacramenti. Sicuti ergo nulla est irreverentia contrahere Matrimonium ex justa causa cum impedimento dirimente absque intentione Sacramenti, quia verba contrahentium non sunt materia aut forma validi contractus; sic nec erit irreverentia in necessitate extrema baptizare cum liquore, de quo dubitatur an sit aqua naturalis, sub conditione veræ materiæ; quia si reverà non est aqua naturalis, quod non pender à voluntate baptizantis, non hic, sed potius Deus, qui instituit aquam naturalem pro materia essentiali, irritat Sacramentum.

Sed cum hæc satis consent, tamen dissentio inter DD. Catholicos est, an minister relicta materiâ aut formâ certâ, possit adhibere solùm probabilem. Major pars amplectitur sententiam negativam, pro qua placuit sequentem conclusionem instituire.

CONCLUSIO XVI.

Minister non potest adhibere materiam aut formam Sacramenti solùm probabilem, quando commodè potest adhibere certam.

Secundùm aliquos Auctores si alibi, ^{250.} ^{Sententia} ^{Valquez &} ^{aliorum} etiam hic licet sequi opinionem probabilem de valore materiæ aut formæ, si legem justitiæ, charitatis aut Ecclesiasticam secludas. Quidni (inquiunt) esset licitum prudenter agere? Agit autem prudenter, qui sequitur opinionem probabilem. Sanè omnimoda in rebus humanis certitudo habere nequit, adeoque ad eam Deus non obligavit, sed ad moralem tantum, ne alioquin vix liceat operari, cum res practicæ difficillimè cognoscantur, & varijs opinionibus subjæta sint.

Herculè si semper homo deberet sequi partem tutiorem, hoc est, in qua minus est periculum peccati, sive in qua nec materialiter potest esse peccatum, foret onus intolerabile, ut nemo ignorat qui novit diversitatem sententiarum circa licitum & illicitum in actibus humanis. Quin sæpe quod est magis tutum, est minus probabile, id est, infirmioribus nititur fundamentis, puta, quòd diebus festis teneamur conteri. ^{Si}

251.
Impugnata
Primo.

Si dixeris: Sacramentum exponitur periculo nullitatis. Respondent, eum, qui prudenter aliquid facit, eo ipso non facere Deo vel Sacramento irreverentiam, nec exponere se periculo, nisi ad summum faciendi quod est irreverentia materialiter. Patet in eo, qui cum iudicio solum probabili cognoscit suam; quamvis enim hic exponatur periculo fornicationis materialis, tamen non facit ullam irreverentiam formalem Deo vel ejus praecepto.

252.
Secundo.

Contra: non est probabile, Sacramentum posse ministrari in materia probabili, quando certa est possibilis. Negant: cur enim minus hoc probabile sit, quam quod aliquis possit suscipere Eucharistiam, quando tantum probabiliter iudicat se esse in statu gratiae; aut quod possit retinere bona proximi, quando probabiliter solum existimat esse sua? Quippe & tunc exponitur Sacramentum periculo materialis irreverentiae, scilicet quod carebit fructu; & retinens bona exponit se periculo materialis injustitiae.

253.
Tertio.

Instas: praeceptum justitiae, castitatis, & similia respiciunt actiones an honestae sint vel non; opinio autem probabilis cum conscientia practice certa faciunt actionem honestam formaliter, quamvis a parte rei sive materialiter sit inhonesta. Porro opinio probabilis circa valorem Sacramenti non respicit actionem, sed rem; & non potest facere ut aliquid sit materia, si revera a Christo non sit institutum.

Respondent: etiam hinc probabilitas objecti redundat in actionem. Nonne probabilitas in exemplis praerallegatis facit, quod a parte rei non sit materialis fornicatio, aut sacrilega susceptio Sacramenti, vel injustitia, si a parte rei non sit uxor, aut suscipiens non sit dispositus, vel res non sit mea? Profecto propter meum putare, etiam prudentissimum, nihil mutatur in re. Si ergo aliae actiones justificantur per iudicium probabile, etiam administratio Sacramenti in materia probabili; non praecise per iudicium, quo iudico hanc vel illam materiam probabiliter valere, sed quo, supposito hoc iudicio, iudico prudenter licitum esse in tali materia ministrare.

Quocirca (inquiunt) addidimus: si legem iustitiae &c. Quamquam enim leges istae non reddant materiam vel formam minus probabilem vel improbabilem; faciunt tamen, ut nequeam ego prudenter iudicare, quod sit probabile, me licite posse ministrare Sacramentum in hac materia aut forma probabili.

254.
Quarto.

Si rursum objicias: Sacramenta habent

ius certum ut valide ministrentur, cui non satisficit per ministerium incertum. Respondent: ius non est in inanimatis, sed in personis, v. g. in Deo, qui sicut habet certum ius ut Sacramenta ministrentur valide, sic etiam ut suscipiantur digne; & tamen ad hoc ultimum sufficit probabile iudicium. Sic etiam habet Deus certum ius ne quis fornicetur, & ut homines adimpleant sua mandata; & tamen ad vitandum peccatum formale, satis est iudicium probabile.

255.
Quinto.

Quod autem instatur per exemplum ex humanis, ubi certo iustitiae debito minime satisficit incerta solutione, parum, inquit, urget: quippe constat certo debito legis humanae satisfieri probabili impletione. De debito iustitiae forte idem dici posset: qui enim probabiliter satisfecit, potest ceteri exemptus. Vel esto, quod non censetur exemptus, hoc ideo erit, quia iustitia respicit aequalitatem debitam inter datum & acceptum; jam autem incerta solutio non aequivalet certo debito. Unde contrahentes censentur alio sensu & mente contrahere. Quae intentione seclusa possent sufficere aequalitas probabilis debiti secundum se & solutionis, etsi non foret aequalitas ex parte scientiae seu tertitudinis.

Porro Deus contentus est probabili solutione; etiam promissionis sibi factae (ut communiter docetur in materia de Religione) quamvis haec probabilitas facere non possit, ut sit vera adimpletio voti, si a parte rei talis non est. Religio itaque sive reverentia debita Sacramentis, aut potius Deo in Sacramentis, solum exigit, ut nunquam velim conficere Sacramentum, quin saltem probabiliter valeat. Etenim quis rationabiliter conqueri potest de inhonoratione sua, quando alter exhibet ei illum honorem, quem prudenter iudicat sufficere, quamvis fortassis hic & nunc non sufficiat?

256.
Sexto.

Urget: Deus statuit Sacramenta velut publicam monetam, cui sua auctoritate valorem ex passione Filij tribuit. Unde sicut fieret Regi injuria a eudente monetam dubij valoris, sic etiam Deo ab administrante Sacramentum solum probabile. Respondent: non fieret injuria, si probabile foret valor monetae, nisi Rex plus praecipisset: Christum autem plus praecipisse, ex nullo capite ostenditur. Haec illi pro sua sententia.

257.

Sed contra: Christum plus praecipisse ostenditur ex dignitate & sanctitate Sacramentorum, quae Christus instituit, & voluit esse signa efficacia gratiae sanctificantis & alio-

& aliorum effectuum supernaturalium; hæc autem ratio non militat in alijs præceptis, ut proinde ab his ad Sacramenta seu administrationem Sacramentorum non valeat argumentum. Itaque tamen alibi liceret, hic tamen secundum plerisque Doctores non licet sequi opinionem tantum probabilem de valore materiæ aut formæ, quando commodè potest adhiberi materia aut forma certa, etiam seclusa lege iustitiæ, charitatis vel Ecclesiastica; quoniam non solum læditur proximus, cui exhibentur Sacramenta solum probabilia, cum possent exhiberi certa, sed læditur etiam religio, cultus & honor Deo ac Sacramentis debitus, dum fides & auctoritas divina, significatioque & efficacia à Christo ibi instituta exponitur sine causa periculo evadendi fortasse ex re magni momenti in rem proflus inanem & vanam omni fructu & veritate carentem.

Ex qua ratione videtur consecrarium, peccare contra reverentiam debitam Deo ac Sacramentis, qui suscipit Eucharistiam aut aliud Sacramentum probabiliter tantum dispositus ad effectum gratiæ sanctificantis, cum alioquin commodè posset suscipere moraliter certo dispositus.

Pro hac sententia citatur Scotus 4. dist. 11. q. 6. n. 2. ibi: *Hic breviter potest dici, quod cum certum sit farinam tritici purgatam secundum communem purgationem, eo modo scilicet, quo pistores solent eam purgare, esse materiam convenientem ad faciendum panem consecrabilem, & dubium sit, an amidum sit huiusmodi materia, & pars negativa multum sit probabilior; non sine peccato aliquis se exponit tali dubio.* Hæc Doctor Subtilis.

Sed responderi posset, Primò, ipsum loqui de particulari Sacramento, Eucharistia videlicet, in qua per dubiam & probabilem solum consecrationem fit præiudicium animabus Purgatorij, & alijs fidelibus pro se Missas exigentibus, qui defraudantur suffragijs, casu quo Sacramentum non subsistat.

Secundò: quando pars negativa est multum probabilior, pars affirmativa vix aut ne vix quidem est probabilis; quod enim parum est, in moralibus pro nihilo reputatur. Unde non utitur Doctor voce *Opinionis probabilis*, sed *Dubij*, quæ vox simpliciter posita significat dubium negativum.

Tertiò: obstat hic usus Ecclesiæ; qui induxit legem non consecrandi nisi panem confectum ex farina tritici purgata secundum communem purgationem, eo modo quo pistores solent eam purgare.

Et propter similem legem Ecclesiasticam est peccatum baptizare in nomine Genitoris, Geniti & Spirati, licet Baptismus hac forma collatus probabiliter valeat (immo foret peccatum, esto certissime valeret) siquidem hæc probabilitas non redundat in actionem ministri; non enim probabile est, ministrum posse conficere Sacramentum, etiam certissimum, contra communem usum Ecclesiæ præscribens & præcipiens ut eo modo, & non aliter administraretur.

Enimverò suppono tamquam indubitatum apud omnes Catholicos, solis hæreticis obstrepentibus, ministrum debere servare ritus & caeremonias, aliæque ab Ecclesia præscripta & præcepta in ministerio Sacramentorum, ita ut secus faciens peccet graviter vel leviter pro materiæ quantitate, prudenti iudicio determinanda. En definitio Concil. Trident. sess. 7. can. 13. *Si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicae ritus in solemnibus Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit.*

Atque hæc est consentiens doctrina SS. Patrum, & constans Ecclesiæ universalis usus & traditio. Quin & ipsa ratio naturalis dicitur res sacras, inter quas præcipuum locum tenent Sacramenta, non solum cum interiori, sed etiam cum exteriori reverentia, ad quam ceremoniarum conducunt, esse tractandas. Vide Bellarminum lib. 2. de Sacram. cap. 30. & sequentibus.

Quæ cum ita sint, liquet profectò solam legem Ecclesiæ facere posse, ut administratio Sacramenti in materia aut forma tantum probabilis sit peccaminosa, esto alioquin foret licita: peccaminosa (inquam) contra virtutem Religionis, ex cuius motivo Ecclesiæ præcipit: ac proinde ex verbis Scoti supra allegatis non deducitur efficax argumentum pro nostra sententia.

Sed neque ex his verbis eiusdem Doctoris 4. dist. 3. q. 2. n. 10. *Circa istum (loquitur de baptizato hodie in nomine Christi) tale remedium adhibendum est, sicut universaliter in alijs dubijs (Baptismis) adhibetur, de quo extra de Baptismo & eius effectu.* De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur verbis istis præmissis: si baptizatus es, non baptizo te; sed si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris & Filij &c. *Et universaliter in omnibus dubijs*

258. Pro qua citatur Scotus.

Sed respondeur Primò.

Secundò.

Tertiò.

259. Lex Ecclesiastica prohibet baptizare in nomine Genitoris, Geniti & Spiriti.

Obstrepentibus hæreticis.

Prohibet ex Tridento.

260. Partibus, Traditione & ratione naturalis.

Bellarmino.

260. Alius loci Scoti.

Sect. 7. De Ministro Sacrament. Concl. 16. 207

dubijs quantum ad materiam & formam sunt tres maxime. Prima est ista: si possibilitas adest, via tutissima est eligenda. Secunda: si non adest possibilitas, via tutissima proxima est tenenda. Tertia est ista: cessante impossibilitate, cautè est supplendum, quod impossibilitas prohibebat. In quibus verbis Doctor non loquitur explicitè de omnibus dubijs quantum ad materiam & formam cujuscumque Sacramenti, sed solius Baptismi.

Explicatur
Primo.

Explicatur
Secundo.

Et dato quòd loqueretur de omnibus Sacramentis; numquid etiam de dubio positivo seu opinione probabili? Videri posset alicui quòd non, propter hæc verba immediate præcedentia: Non audeo dicere, quòd baptizatus hodie in nomine Christi, esset baptizatus: sed nec audeo dicere, quòd non esset baptizatus.

261.
Explicatur
Tertio.

Denique commode explicari possunt hæc verba de obligatione charitatis, quæ maximè elucet in Sacramento Baptismi propter maxima damna ex invalida ejus administratione emergentia, præsertim in extrema necessitate, in qua eadem est ratio Sacramenti Pœnitentiæ. Nemo autem non videt, si habeat oculos apertos ad videndum, charitatem obligare ad illa damna evitanda, quando commode evitari possunt. Si enim charitas dicitur medicum corporalem debere infirmo extremè laboranti adhibere medium certissimum recuperandæ sanitatis corporalis, & non posse uti medio incerto, tamen si probabiliter judicet profuturum, dum suppetit certum; quanto magis obligabit medicum spirituales, ut in extrema necessitate adhibeat certa remedia sanitatis spiritualis, ubi & quando commode potest ea adhibere? Tantum quippe sanitas spiritualis præstat sanitati corporali, quantum anima præstat corpori.

An Episcopus peccet mortaliter conferens Sacramentum Confirmationis tantum probabile.

Quidni etiam charitas obliget in Sacramentis non necessarijs? Quidni (inquam) Episcopus graviter peccet conferens Sacramentum Confirmationis solum probabile, cum posset commode conferre certum? Licet enim gratia illius Sacramenti non sit omnino necessaria ad salutem; equidem tanti videtur esse valoris, ut merito censetur grave nocumentum seu detrimentum eâ privari, quando rationabiliter petitur: atqui Episcopus conferens Sacramentum tantum probabile fortè privat suscipientem illâ gratiâ, ad quam habet certum jus ex institutione Christi, & quam proinde rationabiliter petit; quidni ergo graviter peccet contra charitatem, quæ obligat ad impediendum seu non inferendum grave nocumentum proximo,

quando commode potest evitari?

Dices: Probabiliter evitatur omne nocumentum, quia probabiliter conferetur gratia; jam autem probabile tantum nocumentum minus est, quàm certum nocumentum; esto ergo graviter peccaret Episcopus tam contra charitatem, quàm contra justiciam, negando Sacramentum vel administrando Sacramentum invalidum, haud equidem ita graviter peccaret administrando Sacramentum tantum probabile.

262.
Obiectio.

Audite quid doceat Lorca 1.2. de Actib. humanis disp. 39. memb. 2. Vera (inquit) ratio, ob quam in usu Sacramentorum necesse est sequi sententiam tutiorem, quando maximum damnum spirituale timeretur, est, quia quamvis communia pericula & nocumenta imminencia communi diligentia & probabili scientiâ sufficienter caveantur, sed quando aliquod incommodum maximum & irreparabile occurrit, recta ratio postulat, ut homo non satisfaciat communi diligentia, sed majorem adhibeat, & si potest, omnem ejus periculum probabilitatem amoveat.

Sententia
Lorcan.

Ex hoc sequitur primò, licere uti quacumque opinione probabili circa essentialia Sacramentorum, quæ non sunt de necessitate salutis. Sequitur secundo, circa essentialia Sacramenti Eucharistiæ licitum esse aliquoties uti probabilibus sententijs, non tamen ex consuetudine & longo tempore. Hujus ratio est: quia Sacramentum Eucharistiæ, secundum probabiliorem sententiam, necessarium est ad conservationem vitæ spiritualis; secundum omnium verò doctrinam maximum fructum spirituales præstat, quo fructu fraudari diu hominem, gravissimum nocumentum est; una autem aut alia vice, non ita grave præjudicium infert. Idem cenfeo de usu probabilium opinionum circa Sacramentum Pœnitentiæ, quod quamvis sit necessarium ad salutem interveniente peccato mortali; sed cum possit facile repeti, non censetur adeo magnum detrimentum, si quis ductus opinione probabili, semel aut iterum poenitentem exponat periculo carendi effectu illius: secus, si frequenter & multoties id faceret. Hucusque Lorca loquens de obligatione charitatis.

Fateor ego, certam privationem gratiæ sacramentalis esse majus nocumentum, quàm privationem tantum probabilem; interim negare non audeo; quin etiam hæc sit aliquod nocumentum, grave vel leve relinquo judicio prudentis. Mihi videtur satis grave probabilis privatio effectus Sacramenti Confirmationis per totam vitam,

263.
Responsio.

& per

& per consequens per totam aeternitatem.

Eadem est ratio Sacramenti Ordinis; immo major; quia si à parte rei Sacerdotium v. g. non valeat, ordinatus redditur incapax ad validè conficienda alia Sacramenta Eucharistiæ, Pœnitentiæ &c. quod est gravissimum damnum.

Præterea existimo charitatem obligare non solum ad evitandum, seu non inferendum grave nocumentum, verum etiam ad non inferendum quodcumque leve nocumentum proximo rationabiliter invito. Cùm autem impræsentiarum proximus rationabiliter petat certum Sacramentum; neque enim Christus instituit Sacramentum tantum probabile, sed certum, videtur, nisi forte cedat juri suo, rationabiliter esse invitus, seu rationabiliter conqueri posse de Sacramento solum probabiliter collato, relicto Sacramento certo, quod æquè commodè poterat ministrari. Igitur administrans Sacramentum probabile tantum, relicto certo absque ulla necessitate seu ratione, idque suscipienti rationabiliter invito, videtur peccare ad minus contra charitatem.

264.
Pastor ex
justitia te-
netur admi-
nistrare Sa-
cramentum
certum. De
alijs non ita
certo con-
stat.

Sententia
De Scildere.

Subinde etiam contra justitiam, quando scilicet minister obligatur ex officio, uti Pastor. De alijs non ita certo constat: quippe possent negare Sacramentum sine injuria; ergo etiam sine injuria administrare tantum probabile, cùm & in eo gratiam præsent suscipienti; melius siquidem est Sacramentum tantum probabile accipere, quam nullum.

Contrariam sententiam novissimè docet De Scildere de Principijs conscientie tract. 2. n. 112. dicens: Supposito quòd conferre velit, obligatus est, quasi ex contractu, procedere viâ tutissimâ, nisi suscipiens consentiat. Sicut consiliarius, licet non sit obligatus dare consilium, supposito tamen, quòd alteri dare velit, obligatus est ex justitia dare juxta petentis intentionem.

Sed si ipse hoc asserendo probavit, ego negando refutavi. Interim prior sententia probatur à simili, quòd idem Auctor admittit eodem tract. n. 106.

Medicus
stipendio
conductus
peccat non
solum con-
tra Charita-
tem, sed
etiam con-
tra Justi-
tiam, si re-
licto reme-
dio certo
præscribat
probabile.

Medicus stipendio conductus peccat non solum contra Charitatem, sed etiam Justitiam, si relicto remedio certo præscribat probabile; habet enim infirmus ex vi conductionis jus strictum ad medicinam magis profuturam; hæc quippe est ipsius intentio. Sin autem medicus gratis alicui opituletur, quemadmodum non peccat contra Justitiam, sed contra solam Charitatem, subtrahendo omnem medicinam, multo

minus peccabit contra Justitiam, si præscribat medicinam incertam, quâ, alioquin certo moriturus, fortè supervivet.

Quòd limito, nisi peritissimum querenti, qui certissimum adhiberet remedium, se sponte ingerat ut talis, cùm aliàs eram reperturus, cujus operâ mortem evasissem; tunc quippe per fraudem impedit infirmum à remedio certissimo, ad quod habet strictè dictum jus. Ac proinde non videtur improbabile, Religiosos, qui se ingerunt ex charitate officio Parochi, audiendo confessiones & alia Sacramenta administrando, eandem cum ipso subire obligationem, semper utique conficiendi Sacramentum certum, ne per fraudem impediatur populum ab infallibili remedio æternæ salutis, ad quod habet strictum jus, & quod bonâ fide putat se ab illis accipere, alioquin accessurus eum, qui ex officio ad hoc obligatur.

Petes: an ergo Sacerdos cum probabili tantum jurisdictione nequeat se publicè exponere audiendis confessionibus? Distingunt hic aliqui inter materiam & formam Sacramenti ex una parte, & jurisdictionem requisitam ad validam absolutionem ex altera, docentque jurisdictionem probabilem per se sufficere ad licitè absolvendum; secus probabilem tantum materiam vel formam.

Sed si res penitiùs introspectatur, invenimus solum esse differentiam quamdam materialem. Ratio quippe distinguendi illorum Auctorum est, quia cùm jurisdictione merè pendeat à Prelatis Ecclesiæ, eo ipso quo aliquis habet probabilem, jam habet certissimam, Ecclesiâ supplente defectum ad singulos actus propter bonum commune. Idem cernitur in illo, qui habet titulum coloratum cum errore communi, ut videbimus in materia de Pœnitentia.

Porro materiæ & formæ Sacramentorum cùm à Christo immediatè instituta sint, nequit Ecclesia earum defectum suppleri; Deum autem id facere nullibi est revelatum; adeoque materia & forma semper remanent in terminis probabilitatis; jurisdictione autem transit in certissimam, ut illi volunt: ergo tunc non confertur Sacramentum cum jurisdictione probabili, nisi speculative, sive antecedenter ad exercitium, sed cum jurisdictione practicè certa. Quòd si etiam Deus suppleret defectum materiæ & formæ, de qua suppletione non satis constat, idem profectò dicendum esset de probabili materia & forma, quòd de probabili jurisdictione.

Et sanè

Quid de au-
ligione, se
ex Charita-
te officij
Parochialis
bus impe-
diantur?

265.
Quid de sa-
cerdote
cum proba-
bili tantum
jurisdictione
audiendis
confessionibus
publicè se
exponente?

An & quo
sensu ad-
mittenda
distinguitio
quorundam
Auctorum
inter mate-
riam & for-
mam Sacra-
menti ex
una parte,
& jurisdic-
tionem re-
quisitam ad
validam ab-
solutioem
ex altera.

266.

Et sanè si quis diceret Ecclesiam sup-
plere defectum individuae materiae Ordinis, utpote quam Christus videtur reli-
quisse determinationi Ecclesiae, ut suo loco diffusius explicabimus. Similiter in Matrimonio supplere defectum legitimi contractus; nonne consequenter admittere deberet tam licitum esse cum probabili materia ordinare seu conferre sacros Ordines, & cum probabili materia aut forma contrahere Matrimonium, quam cum probabili jurisdictione absol-
vere?

An autem probabilis jurisdicção ita certa sit (ut putant hi Doctores) & consequenter an liceat cum illa communiter absol-
vere, etiam in articulo mortis, dicam in materia de Pœnitentia. Hic sufficiat anno-
tasse, distinctionem illam potius esse materialem, quam formalem: nam si jurisdicção probabilis non exiret terminos probabilitatis, neque cum illa liceret absolvere magis, quam cum materia aut forma probabili; adeoque peccaret minister ad minus contra charitatem, nisi fortè fieret de consensu pœnitentis.

267.

Si dixeris: Licitum est uti opinione probabili dicante non esse restituendum, & tamen est periculum injustitiæ; nam fortè erit illa res proximi: ergo similiter licitum erit uti opinione probabili in administra-
tione Sacramentorum, cum periculo efficiendi aliquid contra charitatem.

Respondet Felix Tentativæ Compluten-
sis tomo 1. tract. 4. de Conscientia c. 3. diff. 10. n. 7. magnum esse discrimen; nam proximus non habet jus certum, ut illi talis res restituatur, sed solum probabile; & ita sine jure peteret restitutionem certam, & illi satisficit opinione probabili: at verò proximus jus habet certum, ut Sacramenta vera & certa illi tribuantur, cui non satisficit cum Sacramento dubio aut probabili.

Addo, quòd sicut restituens tenetur prospicere bono proximi, ita & bono proprio vel pauperum, & ita non tenetur sequi opinionem dicentem, ut restituat; sed potest se conformare opinioni affirmanti, ut sibi retineat, vel pauperibus eroget. Hæc ille.

268.

An Doctor interrogatus possit obligare ad restitutionem secundum opinionem probabilem?

Si inferas: ergo cum quis petit consilium à Doctore, an restituere debeat in casu, in quo sunt varia & contrariae opiniones, non poterit Doctor respondere eum debere restituere, sequendo opinionem probabilem; quia sic non videtur satisfieri obligationi charitatis erga ipsum. Sic enim eum exponit periculo, ut restituat ex suis

bonis id, quod revera nõ deberet restituere.

Respondet Vasquez 1. 2. disp. 63. n. 14. neg. consequentiam: quia (inquit) ex charitate non potius debet Doctor ille prospicere restituenti, quam ei, cui facienda est restitutio; ac proinde ut obliget interrogantem ad restitutionem, satis est sequi opinionem suam probabilem.

Affirmat Vasquez.

Quòd si quis dicat (prosequitur idem Auctor paucis interjectis) neminem esse obligandum ad restitutionem ex sola opinione, quia melior videtur conditio possidentis; ac proinde ex sola opinione obligandus non est. Respondeo regulam illam juris: *Melior est conditio possidentis*, intelligendam esse in casu dubio; non autem cum est varietas opinionum; nam quando est varietas opinionum, non dicitur res dubia. Hæc ille.

269. Objectio.

Responsio.

Planè (inquis) non dicitur res dubia negativè; sed dicitur res dubia positivè. Quòd autem regula illa juris intelligenda sit in casu dubio negativè, & non etiam in casu dubio positivè, unde probatur? Quippe non ait regula juris: *In dubio melior est*; sed: *In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis*. Et lex 128. ff. de diversis regulis juris: *In pari causa possessor potior haberi debet*. Cur ergo etiam in casu dubio positivè possessor non habeatur potior?

Objectio.

Responsio Vasquez.

Respondet Vasquez supra, quia alioquin iudices non possent secundum opinionem quam putant probabiliorem, spoliare aliquem re quam possidet, & alteri eam adjudicare.

270. Objectio.

Sed contra: Regula Juris non ait: *In causa probabiliori*; sed: *In pari causa*. Ergo tametsi regula illa intelligeretur in casu dubio positivè, quando videlicet opiniones contrariæ forent æquè probabiles; nihilominus iudices possent secundum opinionem, quam omnibus consideratis, etiam ipsa possessione, putant probabiliorem, spoliare aliquem re quam possidet, & alteri eam adjudicare.

In dubio de valore dispensationis judicatur dispensatio valida.

Nonne in dubio vel pari causa de valore dispensationis, v. g. in impedimento Matrimonij, non obtante quòd possessio stet pro impedimento (quippe quod ante dispensationem certum erat) judicatur dispensatio valida? Sed cur hoc?

Varie leges;

Quia possessioni præponderat præsumptio valoris actus, juxta legem *Quotiens in stipulationibus ff. de verbor. obligation. ibi: Quotiens in stipulationibus ambigua oratio est, commodissimum est id accipi, quo res, de qua agitur, in tuto sit*. Et lego *Quotiens in actionibus ff. de Rebus dubijs, ibi: Quotiens in actionibus*

D d nibus

nibus aut exceptionibus ambigua est oratio, commodissimum est id accipi, quo res, de qua agitur, magis valeat quam pereat. Idem habetur cap. Abbat de verbor. signific. ibi: *Profecto sic intelligenda sunt illa verba, ut res, de qua agitur, valere possit potius quam perire.*

Ergo similiter in casu presenti tanta potest esse probabilitas causæ petentis restitutionem rei suæ; ut etiam consideratâ possessione alterius partis, adhuc probabilius sit rem ipsi deberi, vel saltem verè probabile: & in istis circumstantiis Doctor consultus poterit respondere possidentem debere restituere, sequendo opinionem suam probabilem.

An Doctor interrogatus debeat respondere secundum propriam opinionem.

Dico, *Opinionem suam*; quia, si verum est, quod ait Vasquez supra: Qui interrogat Doctorem aliquem an obligatus sit ad restituendum, non interrogat de opinione aliorum Doctorum, sed de opinione ipsius quem interrogat; si hoc, inquam, verum est, Doctor interrogatus non videtur suo muneri satisfacere, si relinquens suam opinionem, qua credit eum non obligari ad restituendum, secun-

dum aliorum sententiam respondeat obligando ipsum ad restitutionem: etenim interrogantem decipit.

An autem hoc verum sit, posset dubitari, & fortè negari dicendo, interrogantem solummodo inquirere quid ipse à parte rei facere debeat vel possit, nisi aliud expressè significet. Sanè si Doctor eum excusaret à restitutione secundum sententiam aliorum, credo firmiter, quòd nullatenus conquereretur de deceptione.

Atque ex his sit finis impositus huic controversiæ, immo & Sectioni. Nam quod attinet ad jurisdictionem Ministri, planè aliqua requiritur extra casum necessitatis, nè videlicet in Ecclesia Dei omnia inordinatè & confusè fiant; sic (inquam) requiritur, ut peccet, etiam mortaliter, qui sine ea ministrat Sacramentum (excepto Matrimonio) ut patebit suis locis agendo de Sacramentis in particulari.

Impresentiarum sic expeditis conditionibus requisitis ex parte ministri, reliquum est ut examinemus condiciones necessarias in suscipiente.

SECTIO OCTAVA.

De Suscipiente Sacramentum.

I. Solum viatores sunt capaces Sacramentorum.

Constat Primò solos viatores esse capaces Sacramentorum, morali (ut sic loquar) capacitate, id est, cum effectu gratiæ sanctificantis. Posset quidem physicè Beatus sumere sacram Eucharistiam (nam etiam bruta possunt materialiter sumere sacram hostiam) non tamen sacramentaliter tamquam cibum spiritualem nutritivum.

In parvulis non requiritur ulla dispositio ut fructuose recipiant Sacramenta, quorum sunt capaces.

Constat Secundò apud omnes Catholicos, nullam in parvulis (eadem est ratio perpetuò amentium) requiri fidem, intentionem aut aliam quamcumque dispositionem, ut validè, imò fructuose suscipiant Sacramenta, quorum sunt capaces, puta Baptismum, Eucharistiam, Confirmationem, & verosimilitè Ordinem.

Quæritur ratio? In promptu est, scilicet carentia usûs rationis, ex qua incapaces sunt propriæ fidei, intentionis aut alterius cuiuscumque dispositionis. An autem requiratur fides vel intentio parentum offerentium suos parvulos, statim videbimus.

Tota ergo controversia devolvitur ad

adultos, id est, ratione utentes, vel qui aliquando ratione usi fuerunt, in quibus certum est plura requiri ad licitam, quam ad validam tantum susceptionem; uti etiam superiori Sectione vidimus plura requiri in ministro ad licitam ministracionem, quam ad validam tantum. Incipiendo autem ab ultimo:

CONCLUSIO I.

Adultus qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, invalidè suscipit Sacramentum, quod consistit in usu.

Dico quod consistit in usu, quia de Eucharistia, quæ est Sacramentum permanentis, est diversa ratio; quippe ante summptionem supponitur habere veram ac propriam rationem Sacramenti. Unde etiam animalia irrationalia validè illud suscipiunt; ergo etiam homo penitus contradicens.

An